



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

2. Variæ rationes, quibus ad amandum eos, à quibus læsi sumus,
inducimur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

§. 2.

Variae rationes, quibus ad amandum eos, à quibus læsi sumus, inducimur.

1. Ferendi inimici.
1. Ne injuria non condonata terrorem eliciat.

Rom. 17.
in Euzary.

2. Quia eadem manet mensura.

PRUDENTER attende, quid nocenti tibi apud Deum ista animi tui à proximo alienatio, pejori fortassis te loco constituit, quam sit ille, quem a quis oculis ferre non potes: ille fortè jam respuit, & cum Deo rediit in gratiam, tu è contrà ob mentis tuæ perveraciam, eum à te alienasti: fac tamen non respuisse, tum de vobis duobus verum erit, quod dicit S. Ambrosius: *Vterque condemnatur, neuter absolvitur*: quàm multum boni pro re caduca & fugitiva deperdit! *Dum foris*, inquit Gregorius Magnus, *invidi esse cupimus, intus graviter ferimur, & dum parva foris defendimus, intus amittimus maxima*; quia *dum rem diligimus temporalem, veram amittimus dilectionem.*

Secundò attende, quod quotidie postules à Deo, quid aeternâ Dei lege sancitum sit, & ore Christi promulgatum, ut eâdem mensurâ te tractet Deus, quâ tu proximum, & si benignè & clementer, tu quoque à Deo benignè & clementer habearis: multis nunc peccatis obnoxius es, &

ut Gregorius Nazianzenus loquitur, *hac lutea massa plurimum aris alieni circumfere*; veniam ergo alienis peccatis tribue; ut tuis impetres misericordiam Deo nomine mutui prabe, neminem unquam Deo prius aliquid erogasse penituit.

Orat ad Principem ut civibus ignoscere

Tertio, Filius Dei esse potes, licetque tibi, inquit idem Sanctus, nullo labore divinitatem assequi, noli oblatam divinitatis occasionem amittere. Jubeat Dominus, inquit Hugo de S. Victore, charitatem usque ad inimicos extendi. Dic Domine quam mercedem dabis, si diligamus inimicos nostros? Ut sitis, inquit, filij Patris vestri, qui in cælis est; si amarum videtur, quod audienti jubetur, sit dulce, quod obedienti promittitur. Audite Christiani, audite filij Dei, ut paternam possideatis hæreditatem, non solum amicis, sed etiam inimicis impendite charitatem. S. Augustinus: *Grandis*, inquit, *est labor inimicos diligere, sed grande præmium: efficietis enim filium Dei, si te aliquis dives in hoc seculo vellet adoptivum filium facere, quomodo servires? & durissima, & aliquando etiam turpissima convitiâ sustineres? quod ergo ille sustinet propter temporalem substantiam, tu sustine propter aeternam.*

3. Quia condonando Filius Dei esse potes.
L. de anima c. 12.

Serm. 5. de S. Stephano.

Quartò, vide quem imitari, malis Christum, cum quo vis beatam aeternitatem agere, an dæmo-

4. Quia a-lias dæmonem imitatis,

dæmonem, cujus consortium apud inferos perhorrescis; ille in cruce injurias atrocissimas condonat, & mala ingentia ab eorum capitibus avertit: dæmon contra odio perpetuo contabescit. Moveat, inquit Nazianzenus, te exemplar tuum, fac Deum imiteris, non mundi Principem: egebis aliquando Dei misericordiâ, cum hujus mundi scena dissolvetur, tu modò condonando injuriam in istud tempus divinæ benevolentia præsidium tibi para, ne cū dæmonis sectatoribus fulmine maledicti sempiterni percussus percas. B. Wolstanus diu hominem ad fratris necem remittendam in omnes partes versaverat, cumque videret se nihil proficere, cum justâ indignatione motus coram frequenti concione dixit: Christus in Euangelio nobis enuntiat: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Constat ergo quòd si pacifici sunt filij Dei; discordantes sunt miseri, & filij diaboli: illi ergo, cujus filius es, te commendo, & trado te satanæ ad interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini: ille continuò à dæmone infestari, stridere dentibus spumas jacere, crinem rotare, & in terram elidi. Miseratione commoti, qui aderant, rogant Sanctum, succurrat, & malum hospitem abigat: ille acquiescit & dæmonem jubet facessere; sed cūm

Horrendū
exemplū.

ille jam libere nondum necem condonare vellet, iterum jussu Præsulis à dæmone invaditur, & torquetur; iterumque ad populi preces liberatur: sed cū nec tum quidem parcere vellet; tertio satanæ traditur, donec membris omnibus concussione labefactatis prope jam ageret animam; tum tandem pacem inquit, & inimico reconciliatus est, deinceps sanus & incolumis.

Quintò, ambo estis membra corporis Christi, & Deo dante futuri simul membra Ecclesiæ triumphantis. Cū aliquod malum unum ex tuis membris invadit, an non illud præ reliquis foves, ungis, & contra minantem labem defendis? cur id ipsum hic non facis? *Humerus meus cum junctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus suis conteratur, dicebat Job; malum sibi tam ingens imprecando potius, quàm mutua charitatis vinculum abrumpere: & tu tam contumaciter, in tui altero membro avulsionem persequeris! A junctura humerus cadit, inquit S. Gregorius, cū aliquid adversitatis animus ferre non valens fraternam concordiam relinquit: & brachium conteritur, quia operatio nostra solvitur, nisi per charitatis vinculum patientia conservetur: sua enim bona perdit operari, qui aliena mala renuit perpeti.*

Sextò mille talentorum Deo debi-

5. Quo
terque
jubem
corporis
membra.
cap. 31.

6. Quia & tu multa Deo debes.

debitor es, quin aliquam injuriam proximo remittis, ut tam immensi debiti summa deleatur: quantum hic, quātū deinde in ignibus purgatorio pœnarū te manet; nisi aliis ignoscendo, tu quoq; apud Deū indulgentiam & remissionem invenias? B. Blonda ex tertio Ordine Servitarum, dum filij atrocissimam necem ignoscit, à Christo in filiam adoptari, & Matri cū Joanne commendari, ac virtutibus in vita, & miraculis post mortem illustrari meruit. B. Joannes Gualbertus dum obvio inimico, & veniam de genibus postulanti reconciliatur, erectumq; dignatur amplexu, à Christo Domino, dum ejus de cruce pendens effigiem exosculatur, capitis inclinatione, approbationem meruit, novi quodammodo amoris osculum, quod cæterarum gratiarum, quibus de cælo locupletatus est, principium fuit. B. Stephanus Italus dum injurias pro beneficiis computat, eorumq; auctores amicorum habet loco, ante mortem à beatis genis miravoluptate perfunditur, & ab iisdem deinde triumphantis in modum inter muscos concentus devchitur in cælum.

Exemplū Gualberti

S. Greg. in Dial.

7. Quamdiu iram fove. pacem interiorē nō habes,

Septimò quāndiu illam tuam animi alienationem foves, totus semper in felle & aceto ac amaritudine es, cælestis consolationis incapax: diceret enim tibi Deus,

teste Augustino: Plenus es aceto, ubi vis mel ponam? funde ut implearis? Sed quòd maximè cavere te oportet, est, ne à felle hujus vitæ, ad amaras illas fellis & absynthij portiones tibi apud inferos præparatas, & numquam exhauriendas transire cogaris. Nobilis in Belgio fæmina mariti, filiorumq; neces Sanctorum virorum sollicita sæpius precibus condonare nunquam voluit, nec S. Arnulphum cælestem vindictam minitantem audire; qui cū è domo illa vix pedem extulisset, con surgens de repente turbo eam à fundamentis subvertit, & miseram oppressit, omnibus domesticis, qui multi erant, illæsis.

Insignis punitio nolentis condonare. S. Arnulphi in Aug.

Vt ergò alienationem averfionemq; animi erga aliquem tanquam charitatis hostem pertinacissimum debelles, industrias ex Sanctis Patribus suggero: ac primò ut Augustinum audias, qui ad Profuturum scribens, monet non esse iram etiam bono prætextu facilè admittendam: *In hospitibus ignotis, inquit, recipiendis solemus dicere; multò melius esse malum hominem perpeti, quàm forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus, ne recipiatur bonum: sed in assecibus animi contrà est: nam incomparabiliter melius est etiam ira juste pulsanti non aperire penetrabile cordis, quàm admittere, non facile cessuram, & per venturam de surculo ad tra-*

8. Industria ad condonandum.

1. Facilius iram excludere quàm admittam extrudere.

R r r bejn:

beni: audeat quippe imprudenter crescere citius, quam putatur; & non erubescit in tenebris, cum super eam sol occiderit: Ad alia si potes cogitationem diverte. Vir probus, ait Abbas Joseph apud Cassianum, tum temporis non presentem considerat statum, ut proferat ea quae suggerit animus exasperatus, sed vel recollit gratiam praeteritae charitatis, vel reformandae pacis reintegrationem mente prospicit, & dum se ad dulcedinem servat concordiae mox futurae, amaritudinem praesentium non sentit iurgiorum.

Coll. 17.
c. 18.

2.
Pete patientiam à Deo & voluntatem condonandi.

Secundò brevem aliquam precationem pro illo, qui injuriam intulit, ad Deum funde, & simul silentium ac patientiam efflagita: quod Hieronymus i. Paulam fecisse memorat: allabetur tum velut, quidam ros de caelo, qui bullientem animum refrigerabit.

Tertiò vide ne apud amicum de injuria accepta animum exoneret; pone custodiam ori tuo, imò cordi tuo, & si alius qui aliquid inaudit, prior ipse te interroget, aut se tibi condolere profiteatur; tu factum excusa, eleva, extenua: dic cum B. Francisco Borgia: Rectè ille à se factum existimat, zelus non est improbandus, majora peccatis meis debentur: si quid peccatum, veniam illi precor.

Quartò si occasio ferat, homi-

nem amicè saluta & alloquere. P. Petrus Faber nullum ad averfionem impediendam, aut tollendam, efficacius remedium reperisse se aiebat, quam congressum ejus, à quo averti te sentis, non fugere; sed quaerere. Et è contrà S. Gregorius ad istas similitudines, & discordias fovendas & augendas nihil validius esse aiebat, quam in mutuis occurribus vultu terribulum, morosum silentium, oculos subtristes, & ad alia vagos. Dum accensus animus, inquit, à consuetudine locutionis restringitur, per accessum temporis penitus à proximi dilectione separatur, & acriores stimuli ad mentem veniunt, atq; in irati oculo festuca in irabem vertitur, dum ira in odium permutatur: unde bene ante nos quidam sapiens dixit: Cogitationes iracundiae, viperae sunt generationis, mentem commedunt matrem suam. 5. Cum experiris. Hac in parte difficultatè, imitare B. Massèum, S. Francisci discipulum, qui cum erga inimicos omnia amici exhiberet officia, sibi tamen non faciebat satis, quòd ea non obiret cum alacritate, & animi dulcedine; sed quasi violentè à se extorqueret, tamdiu orando apud Deum institit donec gratiam inimicos aegrè ac amicos cum omni suavitate complectendi impetraret.

4.
Inimicam saluta.

10. c. 20. lib.